



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quomodò excitare possint auditores ad Ieiunium. Cap. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

teruolantis nauis mare, nauigantis vestigium, vaporem, rorem matutinum, florem manè virentem, vesperè marcescentem; multa cōmoda asserre mortem, statuere terminum peccandi, varijs periculis & calamitatibus homines liberare, præbere aditum ad aternam & beatam vitam, vt præclarè in quodam opusculo de bono mortis, sanctus scribit Ambrosius.

Quomodò excitare possint auditores ad Ieiunium. Cap. XV.

**P**OENITENTIAE pars, et virtutum Christianarum parens ac custos, est ieiunium. Quarè ostendat Ecclesiasticus orator, ieiunium ad iram Dei placandam, & peccata expianda, sed sæpè etiam ad impetrandum aliquid à Deo, adhibitū fuisse. Niniuitas, auditis illis verbis, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, ilicò ad ieiunium vniuersos confugisse, vbiq; saccum, vbiq; cinerem, vbiq; fletum & eiulatū, atq; sic urbem periculis ereptam fuisse: Moysen, & Eliam, si quãdò ad Deum volebant accedere, & quantum homini fas est, alloqui, à ieiunio opem petisse. Daniele, leonum lacum ieiunium ingredientem, mitem ab immitibus illa sum redisse: tres pueros apud Babyloniam, caminum ingressos, atque in igne multo tempore colloquentes, egressos igne ipso fulgidiora corpora habentes; quoniam corporum natura, ieiunio corroborata, cum natura ignis certabat, indequè ipsa victoria secuta est. Quam rem explicans Ecclesiasticus orator, per interrogationem dicet: Audistis pugnam admiratiōe dignam? audistis nouam, inauditamq; victoriam? Ieiunium igitur miramini, alacriq; animo illud susci-

suscipite; quoniam & in camino fert opem, & in leonum lacu custodit, demones fugat, & Dei reuocat sententiam, scelerum furorem reprimat, et in veram libertatem vindicat, summamq; pacem et tranquillitatem affert. Quod si Deus hominem à principio condēs in Paradiso, eum ieiunij lege voluit cohibere, cum dixit: de omni ligno paradisi comede, de ligno autē scientie boni & mali, nē comedas; multo magis illud extra paradisum necessarium dicendum est: si ante plagam vilis medicina fuerat, multo magis post plagam. si nondum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multo magis post voluptatum, vitiorumq; praelium, à demonibus nobis illatum: & sermonem concludens, ostendat necessario nobis bene viuendum, à ieiunio auxilium esse petendum. quam vocem si Adam, communis generis humani parens, et calamitatis humane auctor, audiuisset, nequaquam illam secundam audiuisset: Terra es, & in terram reuertēris.

Qua ratione excitandi sint auditores ad misericordiam. Cap. XVI.

**D**OLORIS species, est misericordia, qua nascitur ex miseria alterius, iniuria laborantis. quo loco tacite Christianus orator obiectioni respondeat, si quis duritiam cordis sui, in se defendat; quod qui inopia & calamitate premuntur, ea miseria digni sunt: tunc per increpationem dicat; neminem non esse multis peccatis obnoxium, eos qui huiusmodi voces proferunt, maximè peccare, cum ipsi misericordia egentes, Dei parte sibi assumant. S. Gregorius Nazianzenus ad hanc virtutem populū excitans,  
in ex-